



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Humilitas quam sit virginibus necessaria. Can. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Humilitas quam sit virginibus necessaria.

CANON XI.

Bernard.

Humilitate
magis ne-
cessaria qua
virginitate.
Luc 1.

Quarto, præcipio ac maximoperè commendo tibi omnium virtutum in-
itium ac fundamentum, humilitatem, per quam ipsi mundo primo restitu-
ta est salus, omnibusq; eam possidentibus æterna promissa est beatitudo ac
coelestis hæreditas, sine qua nemo videbit me, nec gloriam meam intrare poterit.
Hinc est, quod præcipuus ille secretorum meorum contemplator beatus Bernar-
dus, hanc ad eò virginibus virtutem commendat, vt etiam liberè fateatur, mihi
sine humilitate virginitatem non placere. Non mediocriter inquit placet Deo
anima illa, in qua humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat hu-
militatem. Ideò pulchra est permixtio humilitatis & virginitatis. Veruntamen
magis necessaria est humilitas, quàm virginitas. Potes nanque Deo placere humi-
lis homo, quamuis non virgo: non autem virgo superbiens: Imò nec beatissima
Mariæ virginis virginitas Deo sine humilitate placuisset. Ideò gloriosa virgo non
dixit. Quia respexit virginitatem ancillæ suæ, sed respexit Dominus humilitatem an-
cillæ suæ.

Gratitudo quantum exornet virginitatem.

CANON XII.

Quinto, volo ac expeto à te, vt pro tam magno, tamq; excellentissimo do-
no, quod in fragili tuo vasculo tibi concessi, grata mihi sis, debitamq; gra-
tias rependas. Siquidem ingratitude omnium vitiorum est pessimum, sæ-
peq; homines propter suam ingratitude, in multas cogor permittere defectus incurrere, seu gratiam collatam illis subtrahere: multis
insuper varijsq; modis humiliare, vt vel sic discant propriam agnoscere vilitatē,
mihiq; omnem gratiam, omnēq; bonum ascribere: alias in superbiam elati ad
maiorē sui damnationem dona mea possiderent. Itaque gratitudinem ama, gra-
titudinem obuijs suscipe vnijs & amplexare, & time nequando hac magna te glo-
ria priuem, ad quam ex gratuita mea pietate te euexi, aliumq; in locum tuū, multo
te & gratiorem & digniorem substituam. Hocq; habeto semper in corde tuo
quod videlicet, si vel vilissimo alicui homini, maximoq; peccatori quem mun-
dus habet, tantam exhibuissē gratiam, tantisq; eundem præuenissē benedi-
ctionibus, qualibus te præueni, illo dubio procul multo esset gratior, multoq;
promptior ad obediendum mihi, in quibuscunq; meam studeret agnoscere vo-
luntatem, quàm tu. Quod exercitium gratiam meam non solum in te seruabit, v-
trum etiam cumulabit & augmentabit quàm maximè.

Perseuerantia virginibus quam sit necessaria.

CANON XIII.

Sexto, perseuerantiam cum recta intentione tibi mando, videlicet vt firmissi-
mum facias propositum, quod ad mei solius gloriam & honorē velis illæsam
ac integram, quacunq; etiam ingruente tentatione, siue diaboli, siue mundi, si-
ue carnis, seruare virginalem puritatem, nec vlli vnquam homini, quantum in te
est, consensum præbere amplexandi, tangendi, exosculandi aut cognoscendi re,
præterquam mihi soli, qui sum sponsus, Dominus ac Magister tuus, nisi velis æter-
nam meam incurrere indignationem.

Quid